



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 13. Catholici vi adhibita rebaptizantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum V. quam Rex ipse, aut Vandali Catholicos
A. C. 484. persequebantur. Quocunque irent hi
 Episcopi, Sica ad latus erat, & Clerici
 Dominos comitabantur. Reliquorum
 nulli crudelitate concessit Antonius, De-
 serto Tripolitano vicinus. Is Regem Hu-
 nericum, cui non erat ignotus, impulit, ut
 Eugenium Episcopum Carthaginensem
 ad hanc Eremum damnaret; tum An-
 tonius, ipsius custodiam suscipere jussus,
 arctissimo carceri inclusit; nec cuiquam
 colloqui captivo licebat. Imo insidias,
 quibus perimeretur, struxit. S. Eugenius
 Ecclesiæ suæ mala summo dolore pro-
 cutus, Cilicium induerat, & in terra cu-
 babat facco strata. Hoc vitæ rigore vir
 Senectute fractus paralysin contraxit,
 quæ etiam loquentis linguam impedi-
 bat. Antonius Acetum acerrimum af-
 ferri jussit, & invitum coegit, ut bibe-
 ret, sperans hanc potionem ægrotō ne-
 cem allaturam; invaluit quidem tunc
 morbus, postea tamen sanitati restitu-
 tus est.

§. XIII.

Catholici vi adhibita rebaptizantur.

n. 12.

Episcopus alius vitæ Sanctitate notus,
 cui Nomen Habetdeum, Thamallu-
 mam relegatus, ubi Antonius habitabat,
 cum adduci non posset, ut Arianus fieret,
 ipso jubente pedibus, manibusque lig-
 tus

tus est; os quoque obstructum, ne cla- Sæculum V.
 maret, tum jacentis corpus aqua perfu- A. C. 484.
 dit, ut rebaptizaretur, vinculis deinde
 solutum lætabundus alloquitur: *Frater*
mi! jam verus Christianus es, sicut & nos
sumus; quod melius exinde consilium ca-
pies, quam ut voluntati Regis obedias?
 S. Episcopus respondit: *semper eandem*
Fidem servavi; dumque fauces mibi strin-
gebatis, in corde meo dissensum eliciebam,
quem Angeli susceperebunt, Domino offeren-
dum. Jamque vis eadem in omnibus lo-
 cis inferebatur Catholicis. Ubique emissi
 Vandali, qui iter facientes in viis publi-
 cis raperent, & ad Arianorum Episcopos
 adducerent rebaptizandos. His testes
 litteræ dabantur, ne in alium locum dela-
 ti eandem vim rursus ferre cogerentur.
 Nec Mercatoribus nec aliis privatæ for-
 tis hominibus, nisi his litteris muniti es-
 sent, peregrinari licebat. Episcopi, &
 Presbyteri Arianorum noctu etiam arma-
 torum cohortibus stipati per urbes, &
 oppida discurrebant, januas perfodie-
 bant, ingrediebantur domos, aquam por-
 tantes, qua in lecto quoque cubantes, &
 consopitos conspergebant. Mox exclamab-
 bant; quod per regenerationem no-
 vos Christianos creassent. Doctrinam
 Fidei solide edocti Superstitionem ridicu-
 lam non curabant, at simpliciores inqui-
 natum hac lotione corpus fuisse crede-

n. 13.

C 4 bant,

Sæculum V. bant, statimque capiti cineres, quibus purgarentur, imponebant, inducebant ciliatum, aut corpus luto fricabant, velamina, quibus tecta fuerant, dilacerabant, & in cloacas projiciebant.

¶. 14.

Carthagine jubente Cyrilo ita raptus est viri nobilis filius septennis clamans: *Christianus sum.* Sequebatur Mater sparso crine totam Civitatem percurrens. Barbari os pueri constringentes, eum fontibus suis immerserunt. Idem contigit liberis Medici Liberati, cum sua familia ad exilium damnati. Ariani prolem a Parentibus astraxere; cumque Liberatus jacturam liberorum immodice dolebat, uxor viri lacrymas abstergens dicebat: *num usque adeo insanies, ut animam tuam amore liberorum perdas? puta nullos tibi esse natos. Hos JESUS Christus sibi vindicabit. An non clamantes audis, Christiani sumus.* Liberatus, & uxor ejus in diversos carceres abducti fure; tum mulieri dixerunt, virum ipsius Mandato Regis obtemperasse. Ipsa: *videam eum, & faciam, quod Deo placuerit.* Ergo carcere educunt, ostenduntque Maritum coram tribunali inter plurimos alios catenis ligatum; illa fauces viri manus comprimens clamavit: *miserime Mortalium, & Dei Gratia indigne! num ob luridum Gloriæ mundanæ fumum vis æternum perire? quid tibi aurum, & di-*

vitiæ

vitiæ proderunt, num ex Inferni igne te Sæculum V.
liberabunt? Maritus respondit: quid ti- A.C. 484.
bi est Mulier? quis de me mentitus est? per
Jesu Christi Gratiam Catholicus sum, &
nunquam Fidem negabo.

Multi ex viris fæminisque, ut hujus
Persecutionis fævitiam effugerent, in lo-
ca deserta se penetrarunt, ubi fame, &
frigore contabuerunt. Cresconius urbis
Myzentiæ Presbyter in caverna montis
Zici inventus est mortuus. Illo tempo- n. 15.
re ingens per totam Africam terræ siccii-
tas fuit, unde fames primum, & postea
pestis exortæ. Has calamitates in Per-
secutionis pœnam a Deo immissas credi-
dere. Id quoque a Divina vindicta pro-
fectum putarunt, quod Hunericus, post-
quam Regnum tenuisset annis septem, &
decem mensibus, anno 485. corpore nas-
centibus innumeris vermibus corrupto,
& frustatim collabente obierit. Succel-
lit Gontamondus ex Fratre ejus Gento-
ne genitus.

§. XIV.

Legatorum Pontificiorum Inobedientia Constantinopoli.

Felix Papa in Causa hujus Africanæ Per- Evagr. III.
secutionis ad Imperatorem Zenonem hist. c. 20.
litteras dedit, quod verisimiliter Impe- Sup. n. 10.
ratorem permoverit, ut Legatum suum
Uranium Carthaginem mitteret, nullo ut

C 5 vidi-